ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Constantino Hugenio Polyhistori
Jos. Cabeliavius S.D.

Mæstus intellexi, jam te dies aliquot minus rectè valuisse, Nobilissime & Amicissime Vir. Quare nihil miror, nondum commendatitias istas paratas esse. Precabor potius Deum, uti ex animo eum precor jam dudum, ut te solito confirmet. Hoc cum factum fuerit, te unicè & peramanter rogo, ne graveris inde nostri meminisse. ut, nempe, citior abeam, citior redeam. Jamnunc accinctus sum itineri. ut non acceperim litteras comites, quin mox profecturus sim. Interea verò te obtestari pergo, ne ægrè feras hanc meam in te compellando impudentiam. Si quid pecco, pecco totum istuc, vel necessitate, vel humanitate tua. quæ mihi tanta meritò semper visa est, ut mihi videar penitus te peccare nihil posse. nisi eò fortè, quod probè intelligam, confitearque, tantis me nominibus obstrictum tibi esse, ut, quod rependam meritis tam ingentibus, prorsus nihil inveniam, aut habeam. Quod unum possum, pergam te amare, te colere. Vale Heros, & diu vive. Ultrajecti.

XXV. Decembr.

CIↃIↃCXXXVI.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1502a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1502a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1502a

Illustri ac Magnifico Viro,
D. D. Constantino Hugenio,
Polyhistori,
Invictissimo Principi Auriaco
ab intimis consilijs & secretis,
Domino in Zuilichem,
&c.
Domino suo, & Amico perpetuo
tim colendo.
Hagam.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1502a